

Franckesche Stiftungen zu Halle

Dissertatio De Disciplina Scholastica

Vockerodt, Gottfried

Gothae, 1702

VD18 13069128

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-197354](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-197354)





65. E. 12

65 E. 12

231

DISSERTATIO
De
DISCIPLINA
SCHOLASTICA,

sub
ILLVSTRIS GYMNASII GOTHANI
LVSTRATIONEM

CID 100CII.

edita

ab

EIVSDEM RECTORE,
GOTHOFREDO VOCKERODT.

GOTHAE, LITTERIS REYHERIANIS.

DISSERTATIO
IN
DISCIPLINA
SCHOLASTICA

ALBERTI GYMNASII GOTHANI
LYCEI ATQUE

CH. P. P. P.

CH. P. P. P.

GOTTFRIEDO VOCKERODT

CH. P. P. P.



Differtationis summa.

- I. *Occasio & institutum tractationis de scholastica disciplina.*
- II. *Disciplina vox quam late pateat? quid sit scholastica disciplina?*
- III. *Eius ius & potestas asserta a ludimagistris auctoritate Ictorum veterum & recentiorum, rationibus, S. Scriptura testimoniis, Lacedaemonum exemplo, Pontani iudicio.*
- IV. *Ad disciplinam hanc recte exercendam quinam idonei? difficilis talium delectus, ad potestatem principalem pertinens, cur? quid in eo cauendum? quid spectandum? num disciplina custodiri possit a profanis? qui censendi sint profani? horum studia pia disciplina contraria: quorundam seuitia.*
- V. *Exercenda disciplina ratio recta & Christiana descripta: eius instrumentum cur a profanis non recte possit tractari? Eius ratio peruer-*

sa unde? Orbiliorum sauitia improbata a
Quintiliano, Cicerone, legibus civilibus, lētis
recentioribus. In publico non facile caden-
dum cur? Recta disciplina leges unde petenda?

VI. Pia disciplina fructus ubi descriptus? ingra-
tus vulgo cur? Orbili tolerabiliores piis prae-
ceptoribus: horum studia cuius nota homi-
nibus infesta? repudiata cur?

VII. Recta disciplina impedimenta unde potissi-
mum, & quae?

VIII. Adiumenta, leges salutare: harum abusus,
origo, usus rectus: statuta IL. Gymnasi Go-
thani quaedam disciplina tuenda opportuna.
Lustratio quid conferat ad disciplinam? Vo-
tum pro recto eius usu.

IX. Recta disciplina subsidium praeipuum, discen-
tium aetas & studia maturiora, in IL. Gymna-
sii Gothani CLASSE SELECTA quomo-
do obtineantur? hoc anno dimissi & dimit-
tendi qua spe? qui, & cur nominati? quibus
per hunc annum exerciti declamationibus?
cuius argumenti orationes solennes sint? Vo-
tum pro ipsorum felici studiorum academico-
rum aditu & successu.

I. In



I.



N publicis tabulis, quibus scholastica indicuntur solennia, de re scholastica peropportune videtur disquiri, nec opportunius vnquam, quam sub anniuersariam lustrationem. Quorum enim est videre, ne quid res scholastica detrimenti capiat, quamuis alio tempore negotiis aliis, & multiplici sacrarum & ciuiliū rerum procuratione districti sint, tunc tamen, ita poscente solennis muneris ratione, facilius se ad eius rei contemplationem patiuntur conuerti: quæ sane, si recte æstimetur, non indigna videbitur, ad quem summi reipublicæ rectores, & supremæ potestatis administri studia & curas subinde referant senatorias. Nam ab eius administratione publica & posteritatis pendet fortuna: leuesque illius offensiones maximarum in republica & ecclesia solent causæ esse perturbationum. Quibus igitur publicæ salutis & futuri populi cura est demandata, par est, ad cognoscenda tollendaque eius generis vitia, tanquam ad extinguendas primas magni & communis incendii flammæ concurrere. Vt autem tolli mature possint, non desit, oportet, quæ nota notet, indicet, illisque, qui imminentibus damnis publicis occurrere debent, periculum representet. Quod cui magis conuenit, quam litterariorum ludorum magistris, sub quorum manibus res scholastica vitatur, quosque primos deprauationem sentire necesse est, nisi sensum vitiosa consuetudo reddiderit hebetiorem? Et quando potius id fieri decet, quam in solenni scholarum lustratione, & cum publica autoritate inspectanda est res scholastica, ac de eius recta ratione & emendatione deliberatio habenda? Cum itaque, quid mei sit officii, intellexissem, operam dedi, vt accommodatæ huic instituto pleræque essent tabulæ, quæ sub ILLVSTRIS GYMNASII solennia fuerunt edendæ. Eo pertinent scriptiones, *de feriis scholasticis, de corrupta declamandi consuetudine, de vitiis declamatorum veterum & recentiorum, de pedagogismo, de falsa mentium intemperatarum medicina, quæ ex ludis scenicis petitur, de præcipuo discipline scholasticæ*

A

impe-

*impedimento, de voluntate concessa, de recta & solida institutione iuuentutis ad
vita civilis officia, de necessario in scholis Christianis studiorum delictu; ma-
xime vero, non ita pridem cœpta, de scholis disquisitione. Ac ne con-
suetudinis deprauatio me ipsum a vero rectoque detorqueret, auf-
ferretque ad falsum de re scholastica iudicium vel popularis gra-
tiæ studium, vel odii metus, vel proprium vitium, quo minus scho-
lasticæ informationis instituta recta a prauis, & integra a vitiatis in-
ternoscere, & corruptelas indicare possem: dudum sanctissimi officii
notionem & formam, & veri CHRISTIANÆ iuuenturis doctoris
munia, notas & fata non solum mihi proponenda; sed publicis et-
iam iudiciis exponenda esse statui. Cuius argumenti est *de officiis
doctoris scholastici* dissertatio, qua ante nouem, & quod excurrit, an-
nos Hallensi Gymnasio valedixi, nec non quæ de *boni doctoris notis
& fati* sub exemplo Augustini & Chrysostomi hic vulgatæ sunt ta-
bulæ. Ita me consequi posse putavi, vt non temere ipse deflecte-
rem in agendo a regula, publice exposita, nec a rectis aliorum
iudiciis in iudicando de vitiis & corruptelis. Posteaquam itaque
in suscepta de *scholis* disquisitione publicarum scholarum neces-
sitas & recta instituta demonstrata sunt, ostensumque est, quam prauo
consilio, quantisque cum ecclesiæ & reipublicæ damnis publicis
scholis subducantur litteris & liberalium artium disciplinis imbu-
endi adolescentes; vt & quam religiose & prouidenter ILL. GY-
MNASIVM GOTHANVM a B. Myconio constitutum & a piis ma-
ioribus auctum & amplificatum, quamque singulari Dei T. O. M.
fauore nostra tempestate conseruatum sit: visum est nunc de re
omnium maxima & grauissima, non scholasticæ modo incolumi-
tatis; sed publicæ etiam salutis præsidio præcipuo agere, nimirum
DISCIPLINA SCHOLASTICA, eiusque rationes offensionesque
excutere, quantum quidem tabulæ publicæ modus patitur.*

II. Late patet vocis *disciplinæ* vsus: non discentium solum
quorumcunque sub magisterio status disciplina appellatur; sed
ipsarum etiam præceptionum & rerum, ex quibus artes efficiuntur,
comprehensio disciplinæ nomen habet. Scholasticam autem di-
sciplinam, eamque CHRISTIANAM hic vocamus illam scholastici
muneris partem, qua discipulorum mores reguntur ex præscripto
diuinarum litterarum, & quæ his consentanea sunt, statutorum scho-
lasticorum, vindicanturque non solum, pro patriæ potestatis iure
mo-

modoque, contraria illis dicta & facta; sed & errandi peccandique occasio, illecebræ & instrumenta, & quæcunque pietati, bonis moribus & solidæ eruditioni moram & impedimentum afferre possunt, tolluntur e medio.

III. Tribuendum esse ludimagistro patriæ illud potestatis ius & exercitium, ubi necesse est, non summa tantum ratio iuadet; sed & leges & iura probant civilia, si quidem recte, & intra potestatis voluntatisque paternæ modum exerceatur. Ita [a] Vlpianus, *docenti castigationem concessam esse, affirmat, videlicet leuem, quæ, [b] Donello interprete, corpus non faciens deterius, valet temporis causa ad monendum, ad pigritiam excitandam, ad proteruiam, & lenes & vagos impetus ætatis reprimendos, ad delicta corrigenda.* Et, vetere Icto, [c] Paulo, auctore, *culpa demum assignatur præceptoris scuitia nimia, videlicet, ut paullo ante laudatus recentior [d] Ictus explicat, animaduersio, quæ monendi quidem causa adhibetur, aut emendandi; sed eousque progreditur, ut corporis partem aliquam frangat, debilitet, aut deturpet.* Quamuis & ob talem causam, actionem iniuriarum cuiquam competere, negat, an ex locato, dubitat Iulianus apud [e] Vlpianum. Eo, non desunt, qui referunt datam [f] lege Impp. Valentiniani & Valentis senioribus propinquis minores castigandi potestatem, iure patrio exercendam, nisi atrocitas facti ius domestica emendationis excesserit. Et certe publicis iuuenturis moderatoribus, ut patrii in obnoxios alumnos animi habitum, & piam emendandi voluntatem tribuunt, qui eos tam sancto munere dignos iudicant: ita non deneganda est autoritas & paterna contumaces & proteruos compescendi potestas. Hanc magistris in discipulos ita permissam esse statuit [g] Donellus, ut, iure etiam in inuitos, viginti quinque annos nondum supergressos, quamuis cæterum sui iuris sint, usurpari, affirmet. Nec contemnendæ sunt rationes, quibus hoc reddit probabile: videlicet eos etiam, qui sui iam tum iuris sunt, pro inscitia & leuitate ineuntis ætatis, alieno ductu & moderatione egere: ex ipsorum usu esse, corrigi & emendari, ut discant sibi moderari, turpia & noxia fugere, tenere in vita rectum cursum. Videri [h] quidem hanc potestatem prima

A 2

(a) ff. l. 5. ad leg. Aquil. (b) Comment. libr. III. cap. ult. pag. 221. l. 30.
(c) ff. l. 6. ad Leg. Aquil. (d) Donellus ibid. lin. 34. (e) ff. l. 5. ad leg. Aquil. (f) Lvnica, C. de emend. prop. (g) l. cit. p. 220. lin. 20. seq.
(h) p. 222. lin. 1.

fronte imminuere libertatem & potestatem eius, qui corrigitur: quia saepe
 corrigitur nolens, ipsamque hanc vim inuitus pati cogitur: re autem vera ad
 eius potestatem augendam potius pertinere: eum enim, qui emendatur,
 bonis moribus & utilium rerum cognitione instrui: hanc rem deinde illi
 salutem, utilitatem & decus asferre. Vt autem discipulis utilis est di-
 sciplina: ita magistris eius exercenda potestas maxime est neces-
 saria. Hac sane imminuta actum esse de scholastica institutione,
 nec salua diu manere optima instituta, facile intelligunt, quibus
 perspecta est ætatis iuuenilis impotentia, licentiæ vis, consultorum
 improbitas, intempestiua parentum indulgentia, & solennia nequi-
 tiæ patrocina, nec non disciplinæ conseruandæ & religiose admi-
 nistrandæ difficilis ex se ratio, etiam vbi præceptorum salua est au-
 thoritas & integra potestas. Qua destituti non magis ab obnoxio
 discipulorum grege tuti esse possunt, optimæ etiam notæ magistri,
 quam fortissimi belli duces a gregariorum militum impetu, subla-
 ta disciplina militari. Finge tibi magistratum sine fascibus & se-
 curibus: non æque contemptus fuit ranis truncus, Iouis quamuis
 donum, quam hic erit ciuibus suis. Tale impotentia iuuenilis ludi-
 brium erit præceptor scholasticus, doctrina quamuis, ingenique
 dotibus commendatissimus, si castigandi potestatem ei ademeris.
 Et quorsum illa, quæ in diuinis litteris de disciplina exercenda
 præcepta sunt? Noli subtrahere a puero disciplinam: si enim percusseris
 eum virga, non morietur. Qui parcat virga, odit filium. Curua ceruicem e-
 ius in iuuentute &c. Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplina eradi-
 cabit eam. Adeone hæc in scholis nostris non locum habere opor-
 tet & vsum? Itane nunc abhorret a præceptorum officio, in Domini
 disciplina & monitis educare teneros? quod Apostolus parentibus in-
 culcat, quorum partes illi sustinere vulgo creduntur. Damnata
 est illa intempestiua lenitas a sanctæ religionis experte antiquita-
 te. Apud Lacedæmones culpabatur pater, cuius filius non vapu-
 labat de magistri castigantis iniuria conquestus. Patientius isti
 verbera sustinuerunt, quam nunc in CHRISTIANORVM scholis
 verba tolerantur, liberius vitia damnantia, vitiososque reuocantia
 ad frugem. Recte & sapienter de illo Spartanorum ritu [i] Iaco-
 bus Pontanus: Quod si hoc seculo valeret, melius forsitan ageretur cum re-
 publica: tam perditam ac rebellem iuuentutem non haberemus: nec tot facino-
 rosi

(i) Lib. I. Progymn. LVIII.

rosi atque pestiferi ciues existerent. Quare nulla re alia rerumpublicarum rectores de ciuibus suis & posteris melius mereri posse certum est, quam tuenda & conseruanda scholastica disciplina, tanquam re maxime necessaria, omni hominum ætati & ordini profutura, publicorum malorum auerrunca, in diuinis litteris præcepta, ciuilibus legibus & summorum imperatorum autoritate munita, a cultioribus gentibus probata, a piis maioribus in scholas introducta & præclaris firmata statutis. Quæ ne vitio ætatis nostræ, ubi ægre adhuc conseruata sunt, penitus intercidant, omni studio curabunt, quibus cordi est publica salus & posterorum.

IV. Ofsensa scholasticæ disciplinæ necessitate videndum est, cui eius custodia recte possit mandari? Ex rei magnitudine, & muneris, quod scholasticis doctoribus imponitur, dignitate & difficultate colligi potest, cuius notæ esse oporteat publicum disciplinæ custodem, & morum iuuenilium moderatorem: quo sensu & spiritu animatum, quantisque succinctum præditiis, quantis virtutibus exaggeratum, qui velit explere officii partes præcipuas: qui ita adolescentis ætatis mores regere possit disciplina, vt corrigat; ita datam, sibi permissamque iure & ciuilibus legibus ad hoc potestatem exercere & vsurpare, vt ea non abutatur? Dudum difficilis creditus est idoneorum ad hoc munus virorum delectus, quem ad se & supremas curias suas pertinere crediderunt summi olim principes. Ita [k] Antonius Faber: *Quamuis post Nicenum concilium magna esset Patrum autoritas: multumque de iure suo principes concessissent; plusculum etiam imperii ipsis largiti essent: nullam tamen in scholas potestatem, ne a principibus quidem delegatam habebant. Earum enim rectionem principes ipsi sibi reseruauerunt. Ab his docentium numerum designatum esse, & in professorum ordinem cooptatos, quicunque ordinis iudicio probati sunt, paulo ante dictus Ictus affirmat, & idoneis documentis, legumque veterum autoritate demonstrat. Cur id fieri oporteat, [l] Io. Brunnemannus ostendit: Rideat aliquis forte, scribit, meam curam magistratui, imo summa potestati transcribere; sed credat queso Lector, magnam status publici rationem consistere in optima iuuentutis utriusque sexus informatione & educatione. Nam si pessime moratos iuuenes habeamus, & puellas, non melior erit ætas adultior, & sequentur calamitates*

(k) de relig. regenda in repl. Lll. n. 46. p. 186. edit. Franc. 1665. (l)

publica, quibus frustra se opponet humana sapientia. Et verbis supra laudati Fabri, quem in testimonium citat: *Quemadmodum puteis alicuius urbis veneno infectis mors metuenda ciuibus omnibus: ita si prauis opinionibus atque moribus adolescentes imbuantur, certissima inde pericula vniuerse rei publicae imminent.* Intercedere sine dubio principalem prouidentiam in mandandis scholasticis muneribus, vel ideo voluit sancta antiquitas, vt horum aditus intactus esset ab ambitu: ne quid gratiae daretur, ne ex clientelis potentiorum & grege obnoxio familiarium sumerentur magis, quam pro meritis deligerentur scholis praeficiendi: ne malis artibus quaesita, & emta largitionibus suffragatio deferret tam sancti muneris honorem ad indignos: ne factionis studium, metus excellentioris virtutis, & priuata corrupti status commoda, aliaque humilioribus & priuatis hominibus solennes fauoris vel odii causae, quas principes effugere, & in delectu procul habere credibile est, excluderent idoneos & optime merentes: ne, si qui humiliorum suffragatione in munere publico collocarentur, & ab his penderent, eorundem studere gratiae cogerentur, & seruire cupiditatibus in munere administrando, maxime in disciplina exercenda, re tam infesta vulgo, quam necessaria. Quam quirecte velit & religiose tueri, de legitimo muneris aditu certus sit, necesse est, vt integritatis conscientia in aduersis niti possit, verum rectumque dicere & facere audeat, inimica imprudentium dicta & studia contemnat. Quod vt facere possit, ab imperita & improba multitudinis impetu, summa mandantis munus auctoritate, tutum esse, par est. Quamobrem [m] Ahasuerus Fritschius principes serio monet, ne in hac ardua re nimium credant aliis, quos ille *aulico-politicos* vocat; quos, non sine graui scholastica rei detrimento, obnoxios sibi & dediticios homines, ipsius verbo, *creaturas suas*, scholis nonnunquam obtrudere, testatur. *Ipsi potius principes, pergit, vigilent in hac cura, & non alios, nisi satis examinatos, pluriumque piorum ac prudentum virorum consilio probatos inuenturi docende praeficiant.* Quid autem potissimum in delectu & suffragatione ad munera scholastica spectandum sit, quamuis nec nouum, nec cuiquam cordato rei scholasticae aestimatori minus probabile esse possit; quia tamen nonnullis, propter consuetudinis deprauationem, alienum, vel non ita necessarium forsan videbitur, non meis, sed [n] lo Brunne-

(m) Addit. ad Fabri. Tract. de rel. p. 315. (n) loc. cit. p. 272.

nemanni verbis referam. *Suprema*, ille scribit, *inspectio scholarum in eo consistit, ut non tantum utilia proponantur iuuentuti; sed etiam ut pii & docti moderatores & praeceptores scholis praeferantur, qui & verbis & exemplis iuventutem doceant.* Et citat in testimonium huius sententiae approbatorem, summum Ictum, [o] Carpzouium. Absit a politicis his viris profanus ille sensus, quem illi prae se ferunt, qui, linguas & artes scholasticis praeceptoribus relinquendas, & pietatis disciplinam viris sacerdotibus mandandam esse, contendunt. Pios illi non solum volunt iuventutis moderatores, sed qui pietate etiam dirigere possunt disciplinam, piosque efficere alumnos verbis & exemplis. Quod certe nunquam consequentur, qui in speciem pii sunt, & quibus civilis vitae integritas pietatis loco est. Facilius sustineretur pietatis simulatio in rostris ecclesiasticis, verbisque tantisper adornari potest sancti moris habitus; quibus autem plures quotidie horas in scholasticorum cœtu versandū est, & dictis factisque, totoq; vitae actu probanda est, quam fingunt, pietatis forma, difficilis & anceps est simulatio. Erumpent ex improviso cupiditates dominæ, vitia familiaria, & sensus profanus, patefcentque pueris, ad perspicendum magistrorum errata tam acutis, quam ad obseruandum attentis. Quis inter hæc piæ disciplinæ locus esse potest? Citius similes erunt discipuli magistro, & propter licentiam, qua iuuenilis ætas effertur, deteriores, quam callidissimus etiam simulator pios efficiat discipulos, quamuis scævissimo Orbiliorum ritu exerceat disciplinam, & continere licentiam labore. Quamuis itaque, doctum esse, necesse sit, ludimagistrum, qui disciplinæ rationem habere velit, ut parato doctrinæ & artium liberalium apparatu distringere possit iuventutis otia, quæ maxima illi vitia dare solent: quamuis deceat, solertem esse, ut vias artium expeditas tradere discipulis possit, & ad rectiora studia, facilitate exercitationis, allicere inertes: quamuis denique, industrium esse, conueniat, ut assiduitate laboris mitiget feroces, licentiæ vias intercludat, & male agendi occasionem adimat: vera tamen pietas maxime in eo quaeritur, cui disciplina demandata est. Hac enim reliquarum virtutum studia omnia, quæ ad rectam disciplinam adiumentum afferunt, dirigenda sunt: ac sine ea nihil recte & prouidenter, nihil constanter in scholis agitur; nec fortunati sunt magistrorum labores & conatus, quocum-

(o) l. i. de Iurispr. eccles. def. 73.

cunque animo consilioque suscepti. Merito scholarum limini ad-
scripseris: Procul inde profani! Qui autem intrarunt furtim, euo-
candi sunt, vel amplissimis etiam propositis stipendiis & autora-
mentis. Potius, si rem reipublicæ commodis metiaris, in summis
ciuiliū munerum dignitatibus collocandos censebis profanos
magistros, quam in scholis relinquendos: nec carius patriam a
flammis ferroque hostium redemeris, quam ab hac peste vindicabis
scholas, & simul rempublicam & ecclesiam, nec non posteritatem.
Scholarum enim, iudice (p) Antonio Fabro, per se viles, si de recta via desle-
uant & corruptelis deprauentur, pestifera esse solent iuuenturi & uniuerso po-
pulo. Nullis itaque parcendum sumtibus, ubi ex insidiis extrahen-
di sunt publici corruptores, etiamsi Attalicis conditionibus dimo-
uendi sint a statione & opportunitate nocendi. Profanos autem,
ne erres, dico, quibus Deus vnus & solus non est votorum summa,
actionum omnium & consiliorum causa & finis vnicus, & Christi
spiritus rector & agendi patiendique dux & autor: qui inter expe-
tenda ponunt terrestria pretia, & huius vitæ opportunitates, opes,
dignitates, & ad has studia sua referunt, & labores, quamuis simul
retineant egregiam moderationis & honestatis speciem, eamq; so-
lennis religionis professione, & accurata ritus & ceremoniarum religio-
sæ cura sustentent: qui hominum pietati infestorum, maxime po-
tentium, odiis, conuiciis, aliisque Cacodæmonis terculamentis ita
mouentur, ut a recto proposito se dimoueri patiantur. Tales
fane tam nolunt, quam non possunt rite fungi officio scholastico, &
ita docere, ut non corrumpant. Expertes enim ipsi sensus, spiritus
virtutisque diuinæ, & excludentes ex animis Dei amorem, qui cum
mundi & pretiorum eius amore, quo ducuntur illi, stare non potest,
non alios volunt, nec efficere possunt discipulos, quam quales ipsi
sunt; nec magis studebunt piæ disciplinæ, quam veræ pietati. Cuius
quamcunque effingent speciem, ut palam improbi non videantur,
clam tamen fauebunt impietati, & cum maxime spartam suam or-
nare voluerint, improba suorum fouebunt studia. Decepti enim
publicorum morum deprauatione, & falsa elegantiarum decorisque
specie & nomine, cum maxime iuuenturi & publicis commodis ser-
uire se putauerint, impietatem in artis formam component. Hi-
liarioris enim ingenii si qui fuerint, vix verebuntur, palam licen-
tiæ

(p) l. cit. n. 58.

tiæ aperire curricula, licitorum oblectamentorum, vel laxamentorum, & necessariorum exercitiorum ad exprimendum politici moris decus & vsum nomine & titulis honestata: tristiores, & quos, perpetuum profanorum magistrorum malum, tumor ita in altitudinem condidit, vt ægre se ad solennes cum pueris nugas, & theatralem infamiam demittant; quamuis infestum licentiæ animum præ se ferant, & disciplina continere velle videantur ætatis ferociam, dum scelera, sub malis præceptoribus crebra, seuerius vindicant: obrundunt tamen magis ingenia discipulorum, quam emendant, suisque vitiis imbutos, quos disciplinæ seueritate ad honestatem composuisse videri volunt, superbos, tristes & infictos dimittunt. Cuius notæ magistris si supra assertam castigandi potestatem dederis, quam misera est scholasticæ turbæ conditio? Huic certe pro præceptoribus Orbilios, pro patribus, quorum animum in discentes habere oportet præceptores, fauos dabis tyrannos, qui in obnoxii gregis tenera corpora omnia tyrannicæ impotentia instrumenta expedient; animis autem mederi, lasciuiæque & scelerum causas oppugnare, & ostensis munitisque bonæ mentis viis expugnare nec volunt, nec poterunt.

V. Quam necessarius itaque sit scholæ pius magister, non minus ex disciplinæ scholasticæ recte & religiose exercendæ ratione patebit? Rectam illam & veram, solamque scholis Christianis dignam disciplinam descripsi in illa (q) dissertatione, qua de iureiurando academico declamationes publice habendas significauimus. Eam iisdem verbis hic repræsentare vel ideo non pigebit, quod summus tunc curiæ ecclesiasticæ præses, sibi sententiam & institutum istud valde probari, palam testabatur. Scilicet recta & vera disciplina est, *quæ admoto teneris pectoribus litterarum sacrarum lumine, salutem, pacem, libertatem, omnemque felicitatem in viua cognitione & sincero obsequio DOMINI, IESU CHRISTI, ostendit: quæ repræsentatis scholasticæ operæ pretiis, præmiisque sempiternis incautos reuocat ab erroribus iuuentutis, a gaudiis caducis, voluptatibus breuibus, & irritis vacuisque votis rerum periturarum ad spes solidas, stabiles, maximas, reuocatos sanat, fouet, incitat, confirmat, mitigat auspicio ductuque gratiæ castigantis: laboribus utilibusque operis exercet, ac preparat ad vsum reipublicæ & ecclesiæ salutarem: quæ iis salutem, quorum contumacia adhibitis consumptisque frustra omnibus aliis remediis*

B

expu-

(q) 1697, d. 25. Iulii edita.

expugnari nequit, verbis iurgentibus, & si opus est, verberibus parendi incutit necessitatem. En legitimum disciplinæ instrumentum, sacras litteras! quorum lumen ut illucescat discantibus, legendi, meditando, precandi, monendi exercitiis assiduus, a magistris non solum sed & alumnis suscipiendis, consequendum est. Quæ studia quis accendere & rite tractare potest, nisi pius & diuini verbi spiritusque vim, virtutem & operum diuinorum in anima processu propriis experimentis edoctus? Horum expertus magister profanus, siquid huius generis ex præscripto suscipiendum est, tam frigide & perfunctorie ager, quam alienus illi est, & abhorrens a sensu diuino sanctique moris habitu & usu, vulgo contempto, animus. Et si serio agere velit in speciem, ardere & accendere: nesciet, quo cæcus cæcos ducat; nec intelliget, quæ iuuentutis errata notanda sint, quæ negligenda, quibus impunitas, quibus venia danda, quæ vindicanda verbis, quæ disciplina seueriore? Neglectis grauisimis pietatis offensionibus, & capitalibus discipulorum vitiis præcipuum muneris conatum, & maximam disciplinæ vim conuertet ad leuia peccata & errata excusatoria. Grauiori illi pœna dignum videbitur discedens a Donati & Prisciani regulis verbum & sententia, vel a publicorum morum decore adhorrens dictum, vel factum, corporisque motus & habitus, quam Dei, verbique eius contemptus, impietatis licentia, dictis leuibus, obscœnis, friuolis & spiritum sanctum & teneris pectoribus excludentibus, factisque improbis iactata. Quoties horum aliqua maxime quibus magisterii honor violatus est, spretumque proterue imperium, punire aggreditur, non tam odium in peccata, peccantium periculum, & impunitatis damna ad puniendum impellunt, quam contemptu incitatus furor arma ministrat. Ira, quod vltimum licentiæ remedium esse oportebat, posthabita salutari & recta disciplinæ ratione & ordine, primo loco usurpatur. Ac dum nec visam, nec calcatam bonæ mentis viam ostendere potest discipulis; nec peccandi per ignauiam tollit occasionem: nihil aliud illi est disciplina, quam castigatio, & criminosa obiurgatio. Nascitur inde vitiosissimum illud scholasticæ disciplinæ genus, quod in supra memorata dissertatione iam tum descriptum est, nimirum quæ saltem in speciem continet puerorum ferociam, ne in scelera erumpat. quæ iurgiis, minis & verberibus proteruum gregem mittit sub legem. & nutum cuiusdam Orbili, a cuius fronte magistra impotens atas:
suspensa

suspensa quiescit quidem paullisper, sed impietatis semina alius concipit: qua erectis ingeniis ineptiam incutit tristitiam & mores inficetos. Istam Orbiliorum vecordiam, & cadendi obiurgandique infaniam damnauit gentilis, & diuini luminis expers antiquitas, tanquam rectæ etiam rationi contrariam. Ita sine dubio cædi discantes (k) Fabius non vult: hoc deforme & seruile & iniuriam appellat: hoc pacto non corrigi, sed, ut pessima mancipia, durari existimat, nec opus esse hac castigatione, si assiduus studiorum exactor adstiterit: per pædagogorum negligentiam pueros facere, quæ recta sunt, non cogi; & puniri tamen, si non fecerint: multa vapulantibus dictu deformia, & mox verecundie futura, sæpe dolore, vel metu accidere: hunc pudorem refringere animum atque abiicere; atque ipsius lucis fugam & tadium dictare. Rectiorem autem disciplinæ rationem, pro captu suo, & paganæ pietatis modo, his verbis inculcat: Protinus ne quid cupide, ne quid improbe, ne quid impotenter faciat, monendus est puer: habendumque in animo semper illud Virgilii: adeo in teneris consuescere multum est. In obiurgationibus necessariis (s) Cicero id agendum esse præcipit, ut ne quid facere videamur irati: sed, ut ad vrendum & secandum, sic ad hoc genus castigandi raro, & inuitos nos venire debere: nec unquam, nisi necessario, si nulla reperiatur alia medicina. Sed tamen iram procul abesse oportere: cum hac nihil recte fieri, nihil considerate posse. Ad clementem castigationem grauitatem esse adiungendam, ut & seueritas adhibeatur, & contumelia repellatur. Atque illud ipsum, quod acerbatis habet obiurgatio, significandum esse, ipsius causa, qui obiurgetur, susceptum esse. Eadem itaque leges, supra memoratæ, quæ præceptoribus & propinquis senioribus castigandi potestatem tribuunt, eam vetant vsurpari pro impotentia, & ad libidinem. Leuem enim castigationem permissam esse volunt; nimiam autem seueritiam culpæ annumerant: quod præceptoribus in scholis notandum se proponere, non temere scribit supra laudatus (t) Brunnemannus: qui etiam ex lege de emendatione propinquorum [u] colligit, præceptorum non impunitam esse crudelitatem. Recte etiam ad scholasticam disciplinam refertur, quod illa lex de castigationis modo locoque præcipit, videlicet ut hæc patrio iure, & priuata animaduersione peragatur. Donellus (x) ad hanc legem de modo: ut sit animaduersio non acerba & atrox; sed qualis esse solet patris in liberos, non ad vindictam, sed ad emendationem, pietatis

(r) L. I. c. 3. (s) de off. l. I. c. 38. (t) Comm. in ff. L. X. p. 454. (u) Com. in C. L. IX. p. 1106. (x) L. III. c. 24. p. 221.

is lenitate conditam: sicuti ab Hadriano benedictum est, patriam potestatem in pietate debere, non in atrocitate consistere; de loco: ne palam & publice, ac velut ad exemplum in delinquentem edatur, ut hoc modo videatur non tam ad emendationem castigatio, quam ad ignominiam comparata. Quod [y] Brunemannus confirmat, dum ad hanc legem scribit: Animus emendandi non presumitur, si quid fiat publice, coram multitudine hominum: quem excusare alias præceptores castigantes (z) alio loco affirmat. Sane graues ob causas priuata animaduersio publicæ præferenda videtur, nisi delicti atrocitas, & vulgata in plures notitia publicum poscat exemplum. Male consulitur pudori & eorum, qui in propatulo castigantur, & spectantium. In secessu, peccantium salutis cupidus, præceptor monendo, cohortando, obiurgando plus efficit, quam expedito coram multitudine fustuario. Hic muneris sanctitas spectabitur, & decus doctoris CHRISTIANI, euangelici verbi potentia verendum. Certe si sanctus, si cordatus & diuina virtute & spiritu exaggeratus est præceptor, non deerunt illi publicæ disciplinæ præsidia: incitata vocis contentione valebit, & grauitate verborum monentium, hortantium, culpantium, miserantium & pungentium. At non morabor in parte hac: ut Fabii verbo utar: nimium est, quod intelligitur. Singulas disciplinæ rationes particulatim excutere, nec opus, nec hic locus est. Statuta publica academiæ & scholarum, nostro & maiorum æuo conditarum, abunde suppeditant præcepta de disciplina satis luculenta, inter quæ CAPUT IX. METHODI GOTHANÆ de propaganda & conseruanda CHRISTIANA disciplina & pietate commendatissimum iis esse debet, qui sanctioris disciplinæ rationes velint cognoscere.

VI. De scholasticæ disciplinæ notione, necessitate, custode idoneo, modo & instrumento hactenus! de fructu effectoque, impedimentis & adiumentis dicendum nunc superest. Quid valeat ad vniuersæ civitatis mores emendandos, quomodo, depulsis malis, res humanas ornet, quantaque reipublicæ, ecclesiæ & vitæ priuata commoda, & opportunitates afferat recta disciplina scholastica, admodum nuper, cum de inclytæ ciuitatis Gothanæ decore & publicæ felicitatis præsidio, meritisque B. Myconii in schola condenda ageretur, [aa] ostensum est. Crederes itaque, ut nihil esset salutaris sancta & recta iuuentutis institutione, nihil etiam ne-

cessa-

(y) Com. in C. l. cit. (z) cod. Com. in Cod. L. II. p. 148. (aa) §. 8.

cessario huius instrumento, disciplina sanctiore, fore optabilius,
nihil gratius & iucundius cordatis praeceptoribus, qui ea tuenda
de rebus humanis tam bene merentur. At vero fieri hic vulgo ex-
perientia testatur, quod Paulus Corinthios, cum mali doctores il-
lis se obtruderent, facere [bb] testatur: *ferre, si quis iis seruiliter abu-*
tatur, si quis eos exedat, si quis dona accipiat, si quis se efferat, si quis in os cadat.
Ita ferunt homines in scholis suis inutilia cathedrarum pondera,
ludimagistros rudes, ineptos, ignauos, auaros, dona non accipien-
tes solum, sed experentes, poscentes, pessimis artibus captantes, &
pene extorquentes; praeterea superbos, vanos, impotentes, male-
dicos, & insanos horrendosque Orbilios: sub quorum manibus
misere perit iuuentus, sancti moris & solidae eruditionis expers
manet, & efferata licentia bonam, quam natura dederat, mentem
amittit: pios autem, & pia disciplina assertores, solertes, indu-
strios, stipendiis contentos suis, intentosque discentium saluti,
progressibusque pietatis & solidae doctrinae omni studio & solertia
iuuandis, expediendis, ornandis, nec Dii possunt, nec homines,
nec potentiores, nec multitudo ferre. Nec est mirum: rem publi-
cis hominum moribus, studiis, votis, cupiditatibus, spei & expecta-
tioni contrariam odium habere, necesse est. Prouocant illud ma-
xime, & accendunt discipulorum exempla, sanctiore disciplina mi-
tigantium, & aliam vitae, morum studiorumque viam ingressorum,
quam quae vulgo solet calcari. Ad haec conuersi improbi, & qui
propter honestatis studium, vel speciem propriis & religiosi vulgo
habitu fuerant, actum esse de existimatione sua & pietatis opinio-
ne putant, si dissimilis suis moribus vitae ratio publice probaretur.
Facit enim vitiorum prauorumque studiorum conscientia, ut illos,
etiam sine dictis, aspiciant tanquam exprobrantes. Deinde quo-
modo aequis animis ferre poterunt, maxime honestiores, & in alti-
tudinem conditi, domesticam in scholis, ubi disciplina locus est,
publicari vexarique turpitudinem? Dum sapere sibi videntur, & aliis
videri volunt religiosi, utpote publicorum sacrorum cerimoniae ad-
dicti, fraudi existimationi suae fore putant, si religiosius viuendi
via tradatur liberis, quam ipsi calcarunt vnquam, suisque domi
praecipis & exemplo inculcarunt. Ac prorsus intolerabile est
damnari viuendi agendique morem, cuius liberi parentes ipsos ha-
bent

bent autores & exempla: punirique dicta factaque, diuinæ disciplinæ præceptis contraria, quibus parentes non solum impunitatem; sed etiam ingenii, elegantix, festiuitatis, & indolis erectioris, altaque, quam suis destinant, fortuna dignæ laudem tribuunt. Vt ergo molestam & intolerabilem censuram mature amoliantur, ipsos inuadunt magistros. Hos clamant esse censores intempestiuos, prauæ nouitatis autores, & multiplicium hæresium architectos, iuuentutis corruptores, & tanquam reipublicæ & ecclesiæ pestes & scholis eiiciendos, & ex omni hominum societate profligandos. Contra quos clamores dum pii magistri recte factorum conscientia, & publicis integritatis documentis muniti tutique sunt, & neglecto malorum & superborum impetu pergunt facere illorum sensui & votis contraria: & dum conuiciando isti nihil proficere se sentiunt: publicæ disciplinæ subducunt suos, & vel ante studiorum maturitatem in academiis perire patiuntur, vel aptis suis moribus umbraticis magistris tradunt corrupendos.

VII. Vix dici potest, quanta inde existant disciplinæ impedimenta, & rei scholasticæ offensiones? Conuersa ad has multitudinis voculas, pios magistros criminantes, & recta instituta damnantæ ætas incauta hæret dubia, & quo se vertat, nescia. Victam veritatis viribus & præceptorum piorum fide, caritate & integritatis exemplo vincit criminantium & recta damnantium multitudo, auctoritas & clamor; maxime autem iuuenilis licentia, falsissimo libertatis nomine lenocinans. Quæ si sola retardare solet adolentes, suscepturos disciplinæ legem & sapientiæ iugum, tam ingratum recens subeuntibus, quam iucundum adsuētis: quid non valebit confirmata multitudinis iudiciis, honestiorum etiam auctoritate & exemplis, vero rectoque contrariis? Hæc quos a sancto proposito non dimouet, deterrent odia, probra & conuicia, quibus magistri & discipuli propter sancti moris studium excipiuntur. Et quamuis pii præceptores sanctioris disciplinæ lege & vsu haut difficulter compescant contumaces, & a publica plerosque retineant licentia: si tamen improbe dicta factaque nonnunquam vindicanda sint in exemplum: profanorum Orbiliorum frequentissima fluctuaria tolerabiliora videntur, quam moderatus illorum disciplinæ vsus, & rara leuisque castigatio. Publica enim odia faciunt, ut hæc pro sauitia habeatur. Et quia non desunt nequitia patrui, &

patu-

patulæ iniustis querelis aures: piorum magistrorum voce & verbis, libere vitia iuuentutis accusantibus, magis se quotquot contumaciores sunt, lædi grauantur, querunturque inuidiosius, quam quando verberibus in eos sæuiunt ludimagistri profani. Præterea accedunt illa incommoda, quæ supra memorata in dissertatione de præcipuo scholasticæ disciplinæ impedimento descripta sunt. Per quæ dum eluctandum est, facile intelligitur, quam difficilis sit rectæ disciplinæ custodia?

VIII. Adest tamen Deus piis scholarum institutis, & horum custodibus & assertoribus; nec deesse patitur piæ disciplinæ præsidia & adiumenta, quibus in recto proposito niti possunt pii magistri, & tuti munitique esse contra nequitia patrocinia. Irritos maxime & inuálidos reddit improborum, rectam disciplinam oppugnantium, conatus & insidias supremæ potestatis autoritas, salutaria instituta probans, & legibus muniens. Huic quidem omnem muneris succéssum despondere, ignauorum scholasticæ non minus, quam ecclesiasticæ rei procuratorum est. Rei male ab ipsis gestæ culpam *brachio*, vt vocant, *seculari* tribuunt illi, inepte hoc querentes sibi deesse ad tollendas offensiones piæ disciplinæ, & emendanda vitia publica, quæ a vitiosa administratione proficiscuntur, & per ipsorum desidiam & inertiam inualescunt. Sancta & diuina res est disciplina: quæ, nisi virtute diuina, & religiosa prouidentia administratur, & custoditur, frustra est ciuilis potestatis autoritas, & leges curatissimæ. Mali mores bonarum legum semper causæ esse solent. Illis vt maxime tempora nostra fœdâta sunt: ita & hæc adeo non desunt, vt potius multitudine laborare videamur. Desunt autem vulgo, qui iis recte vti, & rite exequi imperata student. Quos si scholis & ecclesiis tribuit mite NVMEN, vix dici potest, quam iuuent defendantque rectam disciplinam leges ciuiles? Propitiæ LLL. GYMNASIO GOTHANO prouidentia documenta illustria sunt religiosa & curata Serenissimorum conditorum & amplificatorum statuta, quibus ad vsum piæ disciplinæ necessaria magistris & discipulis studia & officia præscribuntur, ciuibus nequitia patrocinia interdiciuntur, vigilæ in scholasticos lasciuientes & errorum flagitiorumque deprehensorum indicia imperantur: quibus solennes disciplinæ offensiones, pagana illa impietatis exercitia, quæ profani ludimagistri admittunt ab oblectanda & ornan-

nan-

manda suorum otia & interualla feriata, Saturnalia, Quinquatria
 & Bacchanalia ludis, Iaruis & Saliari lasciuia adornata, natalis
 Christi, & meritorum in scholas Christianas Gregorii, summi eccle-
 siæ veteris præfulis, memoria & nomine decorata, vt & nugæ thea-
 trales & infamis histrionix apparatus vniuersus, nec non comessa-
 tiones & congressus in popinis, talorum & tesserarum lusus, & omnis
 profanus & friuolus musicorum instrumentorum vsus ab honestis
 laxamentis excluduntur, & seuerè prohibentur. Accedit lustratio
 anniuersaria, opportunum rectæ disciplinæ subsidium. Tunc e-
 nim corruptelas, ac piæ disciplinæ offensiones, & impedimenta cu-
 ratoribus aperiendi & demonstrandi commoda datur præceptoribus
 occasio. Proferri simul in publicum contumacium alumnorum
 mores possunt; & lustrantium, eximiæ dignitatis virorum, au-
 thoritate & monitione corrigi. Cuius censuræ metus, si ea, quæ par
 est, diligentia & religione exercetur, vix dici potest, quantum va-
 leat ad peccandi pudorem, & quam inhibeat licentiam? Merito
 prædicamus gratiam mitissimi NVMINIS, fauentis adhuc Ill. Gy-
 mnasii incolumitati, & sanctæ, cuius sedem illud esse voluit, disci-
 plinæ, reddentisque pro immenso in nos fauore hæc tempora, qui-
 bus solenni ritu lustrari solent Scholæ Gothanæ classes, & docen-
 tium discipulorumque operæ, studia & inopes inspectari. Faueat
 idem sanctissimo huic muneri, regatque spiritu suo omnia eo fun-
 gentium conatus & consilia! Tribuat necessariam ad istud rite &
 religiose obeundum sapientiam, industriam & fidem, vt referant
 omnes labores & consilia sua ad Dei T. O. M. honorem, iuuentutis
 salutem, Gymnasii incolumitatem, & expeditum rectæ disciplinæ
 vsum. Ita schola Gothana sub pacato Serenissimi FRIDERICI,
 DOMINI mei clementissimi, regimine perpetua pietatis erit se-
 des, bonarum artium officina, & reipublicæ ecclesiæque commo-
 disimum seminarium. Quæ vota rata esse iubeat Deus, per Chri-
 stum!

IX. Vnum superest, quo ad morum frugalitatem maxime o-
 pus esse videtur, videlicet longior sub disciplinæ lege mora, & ex-
 pectatio maturitatis, vt iuuentus non solum formetur ad sanctæ
 disciplinæ præscriptum; sed & confirmetur in recto vitæ propo-
 sito. Quam apta annorum & studiorum maturitati consequenda
 CLASSIS SELECTA ILL. GYMNASII existat, & quam opportu-
 nâ,

num sit faciendis pietatis & solidæ eruditionis scholasticæ progreſſibus hoc biennii curriculum, luculente expoſui in diſſertatione de *CLASSIS* huius *ortu, progreſſu, lectionibus & præceptoribus, quos ad hoc usque tempus habuit*: qua *CLARISSIMI PROFESSORIS* nostri, ſucceſſorismei, aditus & profeſſionis auſpicia honeſtata ſunt: & probant exempla iuuenum, qui quotannis ex hac claſſe in academias dimittuntur, linguarum, diuinarum litterarum, & artium liberalium ſcientia ſpectatorum, quidam etiam ſolidæ pietatis uſu & ſpeciminibus commendatorum. Diuino munere & in hac *CLASSE*, per hunc annum, ad ſpem bonam, inter non contemnenda induſtriæ, erectæque indolis ſpecimina, proueſti ſunt ſupremi huius *CLASSIS* curriculum alumni: quos cum præcipuis ſpeciminibus eum in finem hic, dum dimituntur, nominandos eſſe duxi, ut publica eos voce cohortari poſſem ad capeſſendum in academiis, perſequendumque rectiorum ſtudiorum curſum, & diſciplinæ ſanctioris offenſiones diligentiffime cauendas:

Iacobus Samuel Sack, Elxlebia - Thuringus,
poſt trimeſtrem ultra ſtatutum curriculum tempus in *ILL. GYMNASIO* moram, bona cum pace, proximæ ante æſtatem incipientem, dimiſſus in academiam.

Guilielmus Reichard Iohn, Tasdorfio - Thuringus,

Franciſcus Arnoldus Tilhen, Vlota - Gueſtphalus,
uterque annum integrum ſupra ſolenne curriculum tempus moratus, dimittendusque cum reliquis omnibus, niſi qui ſponte ſua, ſuperiorum exemplum ſecuti, quod quotannis pene fieri ſolet, velint manere.

Io. Ludouicus Obbarius, Clettſtadienſis,

Georg. Tobias Schmidt, Gothanus,

Guil. Rudolphus Duſterloh, Lauterberga - Cheruſcus,

C

Chri-

Christian. Christoph. Elers, Bardeuico - Luneburgicus,

Io. Casp. Hoffmann, Opfershusa - Hennebergicus,

Io. Casp. Bruckman, Sonnenbornensis,

Io. Matthæus VVerner, Sundhusanus,

Andreas Gasterstedt, Ethenhusanus,

Io. Andr. Vockerodt, VValtershusanus,

Io. Martin. Türlieb, Gothanus,

Io. Adolphus Döring, Gothanus,

Io. Martin. Seitz, Muhlbergensis,

Gothofredus Müller, Gothanus,

Io. Christophorus Arnold, Gothanus,

Georg. Fridericus Iacobi, VValtershusanus,

Io. Christophorus VVeissenborn, Remstadiensis,

Io. Heinricus Baur, Gothanus,

Io. Philippus Thiem, VValtershusanus,

Anto-

Antonius Schüsler, Blanckenbergensis,
Sebastian Meyffarth, Muhlbergensis.

Præter quotidiana indolis, morum & progressuum in linguis & artibus documenta, quæ isti per hunc annum scribendo, respondendo, disputando, recitando in sua CLASSE ediderunt, publice omnium & coram pluribus CLASSIBVS, nonnullorum etiam in solenni panegyri, nec non statis solennibus anniuersariis audita, spectataque sunt ingenii & industriæ specimina, Latino & Germanico sermone, & interdum vtriusque linguæ carmine repræsentata. Dicendi materiam historia vetus & recentior suppeditauit, vnde argumenta notatu digniora, more & instituto Bæcleriano, illustranda, & ad certa momenta prudentiæ ciuilis, vel religiosæ pietatis, veritatisque tuendæ rationes accommodanda, sunt istis alumnis proposita. Ita publicis declamationibus hoc anno peroratum est de præcipua corruptelarum veteris ecclesiæ causâ, nimirum falso iactata Constantini M. temporum felicitate: de odio veritatis in confessionibus publicis pronunciata, & de singulari improborum studio in impedienda vel opprimenda veritatis professione, sub exemplo certaminis Berengariani: de facili lapsu in errores contrarios, sub exemplo Berengarii, ita inualescentis Pontificiæ superstitionis errorem oppugnantis & refellentis, ut simul diuinæ veritatis fundamenta in certo doctrinæ genere conuellere videretur: de studio caritatis erga infideles, barbaros, Turcas, Iudeos exercendo, & horum conuersione rite tentanda, sub exemplo infelicis expeditionis Christianorum in Palestinam, & paullo post in Liunioniam: de hierarchia, seu recta ecclesiastici & ciuilis regiminis ratione, sub exemplo Georgii Anhaltini, præsulis, & Augusti, electoris Saxonie, DOMINI Martisburgensis diæceseos: de Euangelicæ ecclesiæ columine, eodem Augusto: de præcipuo excitata nostra tempestate pietatis autore, Ernesto Pio, eiusque in Euangelicam ecclesiam meritis. Familiarium etiam, & ad recte formanda studia & mores pertinentium argumentorum ratio habita est. Ita quidam declamare iussi sunt de veræ eloquentiæ norma: de eloquentiæ vitiosa: de ratione excolenda eloquentiæ veræ, solidæ & publice priuatimque salutaris: de recordia insurgentium contra disciplinam, in Curtii (cc) notationem vecordium & militaris disciplinæ impatientium: de studio veritatis

tatis & pietatis cum vita etiam periculo tuendo, ex illo Ciceronis: Nec tur-
pis viro forti, nec misera sapienti mors esse potest: de falso remedio vitio-
rum iuuenilium, ex Alexandri M. vitiorum virtutumque descriptione
apud Curtium. [dd] vt taceam illa oratoriorum exercitiorum ar-
gumenta, quæ ad præceptionum rhetoricarum Voslianarum nor-
nam expressa, & ex tempore elaborata sunt, nec non, quæ diebus
dominiciis & festis, coram quatuor superiorum classium concione,
sermone vernaculo sunt recitata. Qui hoc anno lustrationis au-
spicia & terminalia, nec non post cereales ferias publicarum le-
ctionum incipientium solennia sermonibus decoranda in se susci-
piunt, ex eodem censu sunt: quibus, sicut per aliquot annos pro-
ximos, ex quo florentiores ingeniis & studiis nacti sumus alumnos
dimittendos, ordinis, siue dispositionis, ita & nunc materiæ, seu ar-
gumenti liberum delectum reliqui. Et ne invidentibus iuuen-
tutis nostræ studiis, obrectantibusque operis scholasticis vlla pla-
gii detur suspicio, autor illis fui, utpote valedicentibus, ut propri-
um persequantur institutum, & relictis omnibus illis argumentis,
quæ compilatis locis communibus ornata possunt videri, gratia-
rum potissimum agendarum rationem habeant, & ea amplectan-
tur, exponantque, quæ grati pro beneficiis animi, pietatis in Sere-
nisimum patriæ patrem, patronos & præceptores, nec non institu-
ti & propositi sanctioris significationem habent. Quod dum fa-
cient, ut studiis eorum faueant ILLVSTRIS Gymnasii patroni &
fautores, iisque, & discedentibus supra memoratis omnibus san-
ctum vitæ academicæ propositum, diuini spiritus ad rectiora stu-
dia auspiciis & ductum, successumque rerum agendarum, reipu-
blicæ & ecclesiæ salutarem, optent, rogantur. Dabam Gothæ prid.
Kal. Aug. c15 1566 11.

(cc) L. X. c. II. (dd) Ib. c. 5.

65 E 12

